

[Faint, illegible handwriting on a blank page]



38
C. D.
JUS MAJESTATIS
CIRCA SACRA,

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO,

DN. M. DAVIDE
WENDELERO,
WITTEBERGENSI,

Publicè proponet

PETRUS PAULUS Hofmann/
TORGA-MISNICUS,

*IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM,
Horis antemeridianis.*

AD DIEM XXII. MARTII
ANNO MDC LXXVI.



WITTEBERGÆ
LITERIS JOHANNIS WILCKII,

JUS MAJESTATIS
GREGASIA CRA.

PRÆSIDE

VRO C. KRISTIMO.

DN. M. D. A. V. I. D. E.

WENDELLERO.

WITTEBERGENS.

1797

PETRUS PALLIUS JOHANNI

TORGA-MENSIS

BY ANDTONO-PHYLOLOGORUM.

Hort. in. 1797.

AD DIEM VII. MARTII

ANNO MDCCXCVI

WITTEBERG

WITTEBERG

LITERIS JOHANNIS WILHELMII



INCLYTO SENATUI
FLORENTISSIMÆ REIPUBLICÆ
TORGA VIENSIS,

VIRIS

NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS, EXPERIEN-
TISSIMO, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,
SPECTATISSIMIS

DNN. } CONSULIBUS,
PRÆTORIBUS,
CAMERARIIS,

Ceterisq;

SENATORIBUS

Gravissimis,

*DNN. Patronis, Promotoribus, Meccenatibus ac Fauto-
ribus omnipietatis, honoris observantieq;
cultu et atem de venerandis,*

VITAM ET FELICITATEM
PERPETUAM,

COgitanti mihi seduloqve
animo perpendenti, quorum Nomi-
nibus præsentes hæc pagellas assignarem,
recurrebat Vestra, VIRI AMPLISSIMI &
PATRONI MAXIMI, tum singularis erga
studia beneficentia, tum & incredibilis erga
singulos bonarum Artium cultores Huma-
nitas. Enimverò ut fatum seculi nostri
maximè jam sit luctuosissimum, & undiq;
armorum strepitus & terror omnium ocu-
los, aures ac animos perstringat atq; con-
sternet, imò quàm facillimè, quod quidem
Numen avertat clementissimum, in no-
stram regionem Urbesq; quasi contagium
quoddam bellum irrepere possit; Vosta-
men, *O Lumina atq; Columnæ Patriæ*, com-
plures Conterraneorum meorum in Aca-
demiis, veluti optimarum Artium officii-
nis commorantes abundè sustentastis & sti-
pendio aliquo copiosè prospexistis. Hoc
si silentio involveretur, ne piaculo me ob-
stringerem, periculum foret. Quod ergò
illi præsidium studiis suis consecuti sunt, il-
lud



lud & ego impræfens confidenter mihi pol-
liceor. Sicut enim id sedulo hætenus na-
vavi operam, ut pietatem meam Vobis,
MECŒNATES OPTIMI, cum maximè ut par-
erat, probarem: ita hanc meam Differtati-
unculam de Jure Majestatis circa Sacra, non
aliis quàm Vobis, humili animi submissi-
one, ut certissimum meæ erga Vos obser-
vantia sanctissimiq; affectus pignus do atq;
dedico. Id enim jamdudum postulare vi-
debatur summa Vestra Humanitas, & in
clientibus fovendis omni laudatione ma-
jor benignitas, ut eorum, quæ tum apertè
mihi præstitistis & imposterum præstabitis,
memoria publicum aliquod extaret mo-
numentum. Per exiguum quidem illud
est, si tantorum Virorum personis dignum
judicetur; Verùm si non ex pretio, sed po-
tius animo offerentis æstimanda sunt mu-
nuscula, nullus dubito quin, quod ex se non
habet chartaceum hocce, saltem hinc sit
accepturum pretium. Suscipite ergò, DO-
MINI AC PATRONI BENEFICENTISSIMI, benevo-
lo cle-

lo clementiq; animo hanc obsequii arrabo-
nem. Quod si hocce meos cognatus ma-
jorès quidem voluntatis quàm facultatis
devotissimæ observantiæ habeatis testimo-
nium, Benevolentiam Vestram mihi neuti-
quam negatam experiar, & ego certè me
omnia, quæcunq; illa sunt, consecutum pu-
tabo. Favete insuper mihi in posterum, ut
consvestis hætenus, qui Vos vicissim
perpetuò amare, colere ac venerari non an-
tè desinam, quàm ipse esse desiero. Deum
interim dies noctesq; supplex venerabor, ut
multos adhuc annos Vos, VIRI MAXIMI,
dulcissimæ Patriæ ac Reipub superstites esse
jubeat, quò non nisi serò & tardè Cælo in-
leramini. Valete! Dabam ex Illustri
Wittebergensi Academia d. 30. Marti A.
M. DC. LXXVI.

VESTRUM

Viri Nobiliss. Consultiss. Ampliss.

Prudentiss. Spectatiss.

Observantissimus ac de dicitissimus

Cliens

PETRUS PAULUS Hofmann

Phil. & SS. Theol. Stud.



I. N. J.

§. I.

Sacrofanctum semper Legatum atque inviolabilem ab omnibus gentibus ferme habitum fuisse, neminem facile repertum iri, qui id inficias ire vellet, mihi maximè persuasum habeo. Nihil attinet hinc conquirere testimonia Scriptorum; cum unanimis populorum consensus in vulgus notus sit. Non invenietur ulla, nisi fortasse ferina gens sit, quæ neget in totum Legatorum capita inviolabilia esse. Nam & Barbaris morem esse Legatos venerari, *Totilas* dixit apud *Procopium*. Et sanè si fundamentum hujus rei indagemus, & descendamus in causas inviolabilitatis legatorias, nullum alium ausim proferre, quàm quod Principis vices sustineat, & huic, quicquid accidit, sibi vel honori vel contumeliæ ducat Mittens.

§. II.

Quòd si igitur Legati persona tam sancta ac inviolabilis est gentibus omnibus ex mittentis Principis Majestate: ecquæ sanctitatem eorum attribuemus personis, quæ DEI in terris vices suppleant? Obtinet DEUS summum ac absolutissimum in universum mundum imperium, illudq; cum visibiliter rebus humanis non intersit, per constitutam à se civilem Majestatem exequitur. Tametsi enim vigil ille ad omnia oculus, universalis Dei providentia per se sufficeret moderandis civitatibus, visum tamen Numini fuit, quæ ipsius bonitas & sapientia est, supereminentibus potestatibus in gubernando hominum genere ut; hominesque qui in sublimi isto fastigio constituti sunt, collato in eos potestatis ac sanctitatis suæ axiomate, venerandos omnibus nemini ledendos efficere. Scilicet curam Riep. summumq; rerum omnium Judicium

A 2

à Deo

à DEO accepit civilis potestas, adeò ut possit de quolibet negotio civili, de quolibet actione publicâ cognoscere, & quid factum velit, quidve omissum, efficaci decreto statuere atque determinare. Subjacent ejus arbitrio singula & omnia civitatis. Procurat divina, ordinat humana, disponit sacra, moderatur profanis: privata ac publica suo jure complectitur. Ita diffundit se per omnia potestas & valet ubique, idque sine provocatione ad aliud tribunal, quam Majestatis summum judicium excludit.

§. III.

Quo absurdiores illi sunt, qui Principi, DEI vicario, cuique summa Reip. à DEO cura commissa est, detrahunt sacrarum curam. Quis tam absurdus erit, ut derogare patri velit facultatem instruendae piæ familiarum? curandique ut sincerus DEI cultus in domo vigeat? Opponeremus eidem & Aristotelis locum, 1. Oecum. cult. & Patriarcharum exemplum, quibus nunquam fraudi fuisse legimus, quod pietatis exercitium in familiis suis promoverint. Quod in domestico regimine obtinet familias Pater, ut moderetur prudenter rem familiarem curaque sua ad consummatam felicitatis evehat fastigium; illud in publico civitatis corpore Princeps præstat. Publica ille persona est, suæque commissum fidei habet commune bonum: quapropter publice quoque curandum sibi, ac in commune, quod usui est, consulendum esse, deputat rectè. Exemplo quoque si res expedienda foret, produceremus piatissimorum Imperatorum, quibus maximæ fuerunt curæ divinæ res, magnum catalogum. Memoraremus Constantinum M. Laudaremus Theodosium, longèque plures cum Justiniano ac Marciano sisteremus: quanquam illud vix operæ pretium futurum, cum tantum non omnibus constet, in Capitulatione Cæsarea ad hoc ipsum obligari Imperatores, daß sie die Christliche Kirche/ als derselben Advocaten in guten treulichen Schutz und Schirm halten wollen. Defensio verò Ecclesiæ non saltem consistit in externis fraudibus ac malis arcendis, prout contendit Bellarm. 1. 3. de memb. Eccl. mil. c. 18. sed etiam ut purus sit religionis cultus, ac tutus Ecclesiæ status ab inimicis internis, quibus si obviam ire neglexerit, parum suo officio satisfacisse putandus est Princeps Arniseus de exempl. Cler. c. 1. n. 4.

§. IV.

§. IV.

Sed nec argumenta ex sacris literis petita deficiunt, quibus sententia nostra abundè probatur. (1) à generali officio. Nam potestati supremè omnis anima debet esse subiecta Rom. XIII. 11. E. habet jus circa omne bonum subditorum, & per consequens etiam circa bona Ecclesiæ sacra. (2) ab encomiis, quæ in Sacris Majestati tribuuntur. Nam Reges dicuntur Pastores Esa. XLIV. 28. Jer. XLIX. 19. Patres 1. Sam. XII. 15. Uti ergo ad officium Christiani Parentis pertinet cura religionis in familiâ & domo suâ instituendâ; ita etiam Magistratus, qui est Pater Patriæ, debet in suo regno religionem promoverè. (3) ab exemplis, quod commissâ divinitus Magistratui divinarum legum custodia sit Deut. XVII. 18. eaque non privata solum, ac personalis, sed publicâ præcipuè ac officialis, cum enim Magistratus custos sit utriusque Decalogi Tabulæ, Deut. XVII. 19. Jos. I. 7. 8. custodia autem respectu ceremonialium ac forensium legum intelligatur publica, consequens est, quod nec in moralibus aliâ intelligenda veniat; id quod etiam praxis piorum Regum satis testatur. Hinc Regi Joas in solenni inauguratione liber testimonii à Jojade Pontifice traditus fuit, ut custodiam illius publicam sibi commendatam nosset 2. Reg. XI. 12.

§. V.

Quæ res licet in aprico loco posita sit; tamen multi repèriuntur, qui jus illud Majestati detrahère conantur, tam ex Pontificiis, quàm ex Calvinianis. Impugnavit enim cum primis illud Belarminus, Baronius, Becanus, Thomas Bozius, Nicolaus Sandèrus, Cosinus Megalianus, Wilhelmus ab Effern, Jacobus Oranus in Principe Christiano, & alii quàm plures. Sanè Besoldus in Politicis ita dixerit, ut dicat: *Jura Majestatis Ecclesiastica imprimis eo sine introducta sunt, ut Imperantes simul divinarum & humanarum rerum, animarum aequè ac corporum Domini existere possint.* Verùm malè, tum quia jura Majestatis Ecclesiastica non introducta sunt in sensu Besoldi, sed divinitus concessa & commissâ, qui enim summâ in Reip. potestatem contulit, ille etiâ in ipsa inclusam vult dispositionem citra Ecclesiastica, & curâ Sacrorum. Principis certè est non prospicere solum, ut benè sit subditis

ditis temporaliter, sed etiam æternum, & studere, ut quàm beatissimos illos faciat, hinc divinum de hac cura veritatis divinæ mandatum Deut. XVII. 18. ad quem locum legatur *Schickardus de Jure Regio Ebraeorum c. 2. Theor. 5. & 6.* Deinde si Besoldus denegat jura Majestatis Ecclesiastica Principibus Politicis, transcribit illa utique Episcopis vel potius Pontifici Romano, num itaque, quia Pontifex Romanus jura Majestatis habet Ecclesiastica, eum in finem habet, ut animarum sit Dominus, quæ tamen soli Deo subsunt. Postremo jura Ecclesiastica habere quantum ad dispositionem externam, non est dominari animabus, sed prospicere animabus, præscribere non absolute, sed ex agnito typo doctrinæ cum consilio doctorum, quæ in certo & determinato territorio publice doceri debeant. Hinc etiam apud gentiles Majorum consuetudo erat juxta *Servium*, ut Rex etiam esset Sacerdos vel Pontifex, & de Ebraeis Tacitus l. 5. Hist. scribit: *honorem Sacerdotii firmamentum potentia fuisse assumptum.*

§. VI.

Robertus Bellarminus putat, se reperiisse, quod pueri in faba, si urgeat, cum sublimius Ecclesiasticum Regimen Politico sit, non citra injuriam eidem subjici. Sed respondemus, superius Ecclesiæ ministerium esse civili potestate & quoad munus proprium concedimus: subjicitur autem eidem quoad politicas res ac facultates externas. Agnovit Aaron Moysen ut Dominum *Ex. XII. 13.* Josua habebat Jus in Sacerdotes: Nathani David imperavit: Christus ipse cum Apostolis obedientiam præstat Politico Magistratui, quæ omnia sententiam nostram luculenter confirmant.

§. VII.

Sed instat Bellarminus, Clericos pastorum officio fungi, Politicos autem ovium occupare locum, Christumque ipsum Ecclesiam suam non Tiberio, sed Petro Apostolo commisisse cum dixerit: *Job. XXI. 15. Pæsee oves meas;* Pastoris autem esse præsidere ovibus non iisdem subjici. Resp. Totum negotium una expediri posse distinctione. Etenim sermo est Salvatori non de pastore Politico, qui commendandus est civili Magistratui, sed de pastore Ecclesiastico seu ministeriali. Scilicet hic simile non est extendendum ultra suum tertium, nec in omnibus & in Politicis
i m p r i

Imprimis dicendus ovis, qui in spiritualibus ovis nomine venit. Davidem sisto, qui cum moneretur de adulterio, ovis erat: cum autem congregatis Levitis & viris Juda foederis arcam deduceret *2. Sam. VI. 4.* pastoris officium faciebat. Unde patet, quod male hic titulus solis applicetur Clericis, cum familiare admodum Scripturae sit, tribuere politicis Principibus Pastoris nomen. Quavis hic dissimulandum, Christum homines oves appellare, non respectu ministrorum Ecclesiae, sed respectu sui ipsius, cujus propriae oves sunt pretioso ipsius sanguine mercatae.

§. VIII.

Nec juvat Adversarios, quando Episcopos in primitiva Ecclesia absque Imperatorum praesentia & consensu convocasse concilia, ipsos vero Imperatores successu temporis semper ex Episcoporum sententia indixisse Synodos probant: unde colligitur, Magistratui civili sacerdotum curam nequaquam competere. Resp. enim Neg. consequentiam, cum ab illo Ecclesiae statu, quo proprio suo Magistratu adhuc destituta erat, ad praesentem, quo Magistratum suum Christianum habet, non valebat argumentatio. Iniquior erat Ethnica illa Majestas, quam ut aequum ab ea iudicium Ecclesiae expectandum esset: quare ipsimet Episcopi susceperunt Ecclesiae curam, secuti in hoc Apostoli suasionem *1. Cor. VI. 1.* & naturae legem, quae custodiam suam in optimo statu, quantum fieri potest, omnibus commendat. Leges quoque, quas tum temporis tulit Ecclesia, non tam Legum, quam Canonum nomine voluit exhibitas, ut indicaret, non tam superioris decreta, quam consilia esse, & omnem earum vim (si quam haberent) obligandi non ex humano imperio, sed quasi ex lege naturali per modum pacti aut conventionis aut consensus obtinere. At in praesenti statu, quo suum veneratur Magistratum Ecclesia, res aliter se habet, quippe qui merito, & Summae Potestatis vi obtinet ac exercet hoc regium axioma.

§. IX.

Quod Episcoporum consensum in cogendis conciliis attinet, salva res est, si distinguamus inter causam principalem, quae oblatam occasione cum auctoritate decernere ac jubere potest, & *ἡ ἀφορμή*, quae principali causae occasionem praebet, petit, ac svadet. Ut enim ex Episcoporum sententia indicta fuerint concilia; non

non tamen ad indictionem concurrerunt actu auctoritativo & jurisdictionali, quo Imperator, sed merè consultativo ac petitorio, quatenus ut consilarii Ecclesiastici necessitatem Synodorum Imperatoribus exposuerunt.

§. X.

Ex Calvinianis non dextrè incedunt Jacobus Revius in Examine opusculi Vedeliani, Triglandus de potestate civili & Ecclesiastica, nec non Gvilielmus Apollonius in tractatu Theologico de jure Majestatis circa res Ecclesiasticas, quos imprimis malè habet, quod tribuatur jus confirmandi, vocandi, & eligendi pastores summis potestatibus, cum in V. T. Magistratus non constituerint Sacerdotes & ministros cultus divini, sed ipse DEUS sibi elegerit tribū Levi, Aaronem & ejus posteros ipse constituerit sacerdotes. In N. T. ipse Christus dederit Apostolos, Prophetas, Evangelistas Pastores & Doctores, quæ nihil probant, nisi ipsam substantiam Ministerii & functionis Ecclesiasticæ esse refundendam in originem divinam, non autem ab externis circumstantiis excludi potestatem in Rep. summam, interna subesse soli DEO, non verò negandā esse dispositionem circa τὴ ἐκτός, ut Constantinus voluit.

§. XI.

Hactenus demonstravimus, quòd Jus circa Sacra ad Majestatem pertineat, jam porrò dicendum erit, quousque illa potestas sese extendat, ne potestatem justo majorem in Ecclesiasticis negotiis sibi arroget, ea, quæ toti Ecclesiæ competunt, sibi soli adscribendo, vel ministerii Ecclesiastici partes ad se transferendo.

§. XII.

Ante omnia verò Majestas cultum divinum ac veram religionem conservare eandemq; à corruptelis immunem ad posteros propagare debet. Quod ut commodè fieri possit, debet ipsa Majestas verum DEI cultum ex sacris perdiscere. Hoc enim postulat mandatum DEI *Deut. XVII. 18.* confirmat piorum Regum exemplum *Pf. CXIX. 2 Reg. XXIII.* flagitat ipsa necessitas. Nam aliàs cæco judicio amplectitur ea, quæ proponuntur, & suam suorumq; salutem alieno arbitrio temerè committit.

§. XIII.

Cum autem ad veram religionem propagandam eandemq; à corruptelis immunem conservandam requiratur sincera verbi
divin;

divini prædicatio ac legitima Sacramentorum administratio; Majestas verò ipsa per se & immediatè suscipere eam nec possit nec debeat; ideò hanc docendi provinciam suis & idoneis hominibus commendare debet, qui populo viam salutis monstrant.

§. XIV.

An verò hæc Ministrorum vocatio ad Majestatem adeò spectet, ut hanc sibi soli tribuere possit, maximè inter Politicos disceptatur. Nos dicimus Vocationem non soli Majestati, sed toti Ecclesiæ competere. Non autem loquimur de vocatione immediata, quam DEUS citra intervenientem ullius hominis operam exercet, sed de mediata, quæ totius Ecclesiæ esse dicitur, idq; evincitur ex praxi primitivæ Ecclesiæ. Triplici membro Ecclesia constat, Ecclesiastico, Politico & populari, quæ unum in Christo constituunt corpus. Non est Ecclesia, nec Dominus Ecclesiæ Politica potestas, sed membrum ejus & æqvè per verbum regitur, ac alii: unde nec solus curare potest, quæ totam concernunt Ecclesiam. Ferendum in electione judicium de Ministri eruditione, de donis ejus ac vita: sed & hoc totius Ecclesiæ est, eligendusque ab omnibus, qui animas omnium curare debet. Licet itaque in aprico loco positum sit, vocationem Ministrorum ad totam Ecclesiam spectare, interim tamen curam vocationis ad directionem ut & confirmationem spectare ad solam Majestatem, tum ratione personæ tum ratione officii, intrepidè affirmamus. Ratione personæ, quia est præcipuum Ecclesiæ membrum: ratione officii, quia Ecclesiæ nutritius & utriusque tabulæ Decalogi custos divinitus est constitutus. Hinc Salomo Sacerdotes elegit ac Levitas 2. Paral. VIII. 18. Sodocumque constituit summum Pontificem, loco Abjathari officio moti 1. Reg. II. 35. Diverso propterea jure ac modo ad totam pertinet Ecclesiam jus vocandi ministros. Ad Ecclesiasticum ordinem quoad examinationem & ordinationem: ad populum, quoad libera suffragia: ad Majestatem verò quoad jurisdictionem & confirmationem.

§. XV.

Porro quoque Majestas leges Ecclesiasticas promulgare potest, non quidem de cultu DEI interno, quippe quas DEUS in verbo suo jam antè perfectè ac sufficienter præscripsit; sed de exercitio cultus divini externo. Dist. tamen inter potestatem ferendi leges

B

absolu-

absolutam & restrictam. Nec enim pro arbitrio leges ferre Majestas debet; sed juxta rectam rationem & cum perpetua ad voluntatem divinam reflexione. Rectè Augustinus l. 9. de civitate DEI, inquit: *Omnium legum inanis censura est, nisi divina legis imaginem gerant.* Caveat itaque Magistratus, ne præscribat leges cum officio Ecclesiastico pugnantes v. g. inhibendo disputationes Theologicas, prohibendo liberiores vitiorum taxationem hæresiumque refutationem. Hoc enim est Spiritui S. capistrum injicere.

§. XVI.

Non verò satis sibi putet Majestas, ministros verbi constituisse, atque leges Ecclesiasticas promulgasse, sed insuper etiam de honesta ministrorum sustentatione sit solitus, bona Ecclesiastica dispensando, sicut fecere Aza, Ezechias atque alii. Bona illa Ecclesiastica verò potissimum converti debent (1) ad ministrorum Ecclesiæ & scholarum liberalem sustentationem, (2) ad studiosorum pauperum literis fideliter incumbentium promotionem, (3) ad captivorum redemptionem, exulum, ægrotorum & egenorum alimentationem [4] ad ædium sacrarum reparationem

§. XVII.

Si quæ ingruant circa religionem dissensiones aut difficultates, pio Magistratui ex officio incumbunt visitationes per viros idoneos, præsertim Ecclesiasticas personas, instituere. Confer inquisitiones Samuelis 1. Sam. VII. 16. Josophati 2. Paral. XVII. 7. sqq. Postea Synodos conscribere & convocare atque sedulo curare, ut controversiæ sopiantur, litibus è verbo divino fideliter decis. Probamus hoc ipsum. (1) quia habet potestatem ac jurisdictionem in congregandos, ejuſq; auctoritati omnes parere coguntur, (2) quia solus potest congregandis saluum conductum dare & à periculis itineris eos immunes præstare, (3) quia Synodos convocârunt pii Reges, David, Salomon, Ezechias, Josua, (4) quia in N. T. potestas conciliorum indicendorum fuit penes Romanos Imperatores ad Christum conversos. Concilium Nicenum indictum est à Constantino; Constantinopolitanum 1. à Theodosio seniore, Ephesinum 1. à Theodosio Juniore, Chalcedonense à Martiano Imperatore.

§. XIX.

Dum autem dicimus, Magistratui Politico eidemque fidei
ex offi

ex officio incumbere, Synodos universales edicto suo indicendas; reliqua Ecclesiae membra à cura Synodi non penitus excludimus. Nam cum Synodi universalis celebratio opus sit totius corporis Ecclesiastici, meritò synodi negotium debetur commendatum esse toti Ecclesiae corpori. Itaque & sacerdotes consulendos esse Deut. XIII. 9. & ab ipsorum labiis requirenda scientia *Mal. II. 7.* imò neque populum Christianum penitus excludendum esse, modò in eo sint, qui verbum divinum probè calleant & amore gloriae divinae ardeant, constat luculentissimo exemplo Berroensium.

§. XIX.

Hactenus demonstravimus, quomodo Jus circa sacra ad Majestatem pertineat, & quousque se ea circa illud extendat: Jam adhuc quaedam dubia, quae hic occurrunt, expendenda erunt.

QVÆSTIO I.

An Magistratus Politicus possit debeatque subditos vi externa & armis cogere ad amplectendam veram religionem?

Negativam defendunt Nostrates, urgentes (1) *mandati divini in Novopreprimis Testamento defectum.* Siquidem Christus Apostolos jussit docere & baptizare, non verò ad fidem cogere aut nolentes interficere. (2) *religionis naturam.* Hoc enim cum sit cultus DEI spontaneus & voluntarius, ideò non nisi docendo, monendo & persuadendo homini implantari potest. Fides est ex auditu verbi divini, teste Apostolo Rom. X. 17. neque violentiae humanae sed gratiae divinae opus est. Hinc Bernhardus: Fides svadenda est, non imperanda. Cui *ἐπιβολή* est Lactantius l. 5. instic.

c. 19. Quis imperet mihi, ait, necessitatem vel credendi, quod
nolim, vel quod velim non credendi. Item nihil tam voluntari-
um, quam religio: à qua si animus averfus est, jam sublata, jam
nulla est. ideo Stephanus Rex Polonia crebris sermonibus usur-
pare solitus est, DEUM tria sibi reservasse, in quibus nec velit
nec possit habere parem: dominari conscientiis, scire futura &
ex nihilo aliquid facere.

QVÆSTIO II.

*An & quatenus duas pluresve religiones tole-
rare Majestas in Rep. debeat?*

§. I.

Priusquam nostram sententiam explicemus, operæ pretium
ducimus quasdam præmittere distinctiones. Quæstio enim vel
est de personarum diversè sentientium, vel de exercitii publici to-
lerantia. Personas quod attinet, in duplici iterum sunt differentia.
Vel enim tantum sibi & privatim errant, vel simul seducunt alios
ac turbas movent. Priores, cum pacatè ac sine scandalo vivant,
ac spes quædam futuræ ipsorum conversionis affulgeat, tolerari
possunt. Et ex hoc fundamento Judæis licentia vivendi in Rom:
Imperio permittitur: posteriores verò, quia pacem publicam tur-
bant, ac simpliciores fallunt, sunt expellendi.

§. II.

Quoad exercitium diversæ religionis publicum duplex rur-
sus adhibenda distinctio. Vel enim (1) status Reip. pacatus est ac
tranquillus, vel turbulentus. Si hoc, aliquid concedendum
dum temporis est, ac toleranda peregrina religio, (2) Vel Magi-
stratus habet liberam potestatem, vel restrictam. Libera est,
quando se nullis certis pactis aut conditionibus ad plurimum in
sua

sua ditione religionum tolerantiam adstrinxit, vel quando vires ac nervos habet impediendi publicum exercitium, & resistentes coercendi. Restricta est, quando potentia ejus vel per certa pacta & promissa, vel per statuum inferiorum jurisdictionem, quam sibi reservarunt, vel per æqualem diversæ religionis subsiditorum potentiam, quando æqualiter fermè sunt divisi, ut una pars veræ, altera falsæ adhæreat religioni, quodammodo limitatur atque constringitur.

§. III.

Deinde dist. inter extirpationem hæresium simultaneam & successivam. Non uno eodemque impetu Majestas ejicere hæreticos debet, sed adhibere admonitionem gradus, quibus, si præbere aurem nolint ac in errore malitiosè ac pertinaciter perseverent, placidè recedere jubeantur. Aliàs enim periculum esset, ne porrò turbent cum maxima Reip. pernicie.

§. IV.

Quibus præmissis dicimus, Majestatem Christianam potestatis liberæ tempore pacato non nisi unam veramque religionem in Rep. sua fovere ac tueri debere. Probationem asserti nostri suppeditamus (1) à *præcepto divino*; Non habebis Deos alienos coram me: cujus observantia ut omnibus, ita civili Magistratui, tanquàm custodi utriusque tabulæ vel maximè commendata esse debet: quod sanè fieri non potest, si absque inevitabili necessitate plures admittat religiones. (2) à *debita Magistratus pietate*. Nam si DEUM sincerè colere voluerit, exosam DEO religionem ferre nec potest nec debet, nisi turpissimo saltu & contra conscientiam officii limites transire velit. (3) *ab officio Magistratus*. Incumbit Magistratui omnes præcludere dissensionum civilium vias. Si autem in religione non conveniant subditi, frustra id intenditur, cum dissensio in fide pariat animorum dissensum. (4) *ab impetrantium securitate*

ritate Nam dum quisque suam superstitiosè observat religionem, dilabitur paulatim ad impia contra Principem aut Remp. consilia. Cujus vel sola Gallia locuples esse testis potest.

§. V.

Attamen si religionis unitas in Rep. haberi planè nequeat, status præterea sit turbulentus, limitatamque habeat potestatem Magistratus, toleranda potiùs diversitas, quàm turbandum status regimen. Sicut enim periti Medici in morbis gravioribus quandoque plus proficiunt quiescendo, quàm movendo & agendo: ita in hoc statu obtinet, ubi ex duobus malis minimum est eligendum, cum præstet aliquam habere Rempub. licet variis de religione dissidiis turbatam, quàm nullam.

QVÆSTIO III.

*An omnes hereticorum libri à Majestate
abolendi aut comburendi
sint?*

Negativam defendimus contra Pontificios. Distingv. autem inter libros manifestè impios, quales sint notoriè blasphemii, magici, famosi, qui meritò prohibentur, aut ultricibus flammis abolentur, & inter libros eruditos, qui de religione ex verbo DEI licet non rectè intellecto, aut adhibito differunt, hi non debent, literatis præsertim eripi, nec planè aboleri, vel incendi.

§. II.

Id ipsum adstruimus (1) tum mandati divini negatione, tum Christi & Apostolorum demonstratione, illi enim Phariseo-
rum

rum, Sadducæorum & Essæorum scripta absolute non prohibuerunt, multò minus eosdem in vitis possessoribus Vulcano tradiderunt, (2) *divinâ admonitione*, 1. Theff. V. 15. Omnia probate, quod bonum, tenete, (3) *à male cause suspitione*. Incendiarii enim illi, qui causæ suæ diffidunt & lucem divinæ veritatis defugiunt, libros, quos illi dicunt hæreticorum esse, exurunt. Jer. XXXVI. 23.

§. III.

Eo potius elaborandum est, ut hæretici seriâ conversione tacti, damnent ipsi suos libros; ac in errorum suorum detestationem eos flammis adjudicent; quod consilium secutos fuisse Apostolos legimus Act. XIX. 19. præsertim cum flammâ abolere libros coelestes familiare fuerit Tyrannis. Hic subsistamus, DEUM T. O. M. omnis pii Magistratus auctorem ac conservatorem potentissimum devotè venerantes, ut veram religionem ad seram usq; si qua futura est, posteritatem transmittere clemens dignetur.

SOLI DEO GLORIA!



Sünner steigen aus der Aschen/ endlich in die
Flammen auff:
Sinnen/ so nach Ehren streben/ hemmen nie-
mals ihren Lauff.

Ihr/ mein Werther/ zeiget es/ dessen Fleiß
bisher geglimmet
In der Aschen/ biß er nun stärker Flammen
zu sich nimmet /

Sich in helle Bluth ausbreitet/ nach den hohen Ster-
nen Plan/

Läset steigen seine Flammen/ und sich wirffet Wol-
cken an,

Wohl/ mein FREUND/ ich wüntsche Glück/
fabret wie Ihr angefangen/

Weiter fort/ so werdet Ihr/ Ruhm und Ehre
gnug erlangen.

Den Herrn Antwortenden zu Ehren hat
dieses aus schuldiger glück wünschung
bey gethan.

M. David Wendeler

PRÆSES.




✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







38

ESTATIS

ACRA,

IDE

ISSIMO,

AVIDE

LERO,

GENSI,

donec

LUS Hofmann/

NICUS,

MILOSOPHORUM,

vidianis.

MARTII

LXXVI.



RGÆ

IS WILCKII,

